

## APPENDICE

---

### I

*Venerabilis Bedæ presbyteri epitome trium libellorum,  
quos Adamannus de Locis SANCTIS conscripsit, lib. I, cap. V.*

Sudarium capitum Domini, post resurrectionem ejus, mox christianissimus quidam judaeus furatus, usque ad obitum, divitiis affluentibus, habuit, qui moriturus interrogat filios, qui Domini Sudarium, qui ceteras patris velit accipere divitias. Major thesauros rerum, minor elegit Sudarium. Et mox illi decrescent opes usque ad paupertatem: fratri autem cum fide crescunt et opes, quod usque ad quintam generationem fideles tenuere. Hinc ad impios perveniens, divitias tantum auxit, ut judaeis, et hoc multo tempore, donec post longa litigia, quibus christiani judaei se Christi, infideles vero se patrum suorum affirmabant haeredes.

Majuvius, Saracenorum rex, qui nostra aetate fuit, judex postulatur. Qui accensa grandi pyra, Christum judicem precatur, qui hoc pro suorum salute super caput habere dignatus est. Missum ergo in ignem Sudarium, veloci raptu effugiens, evolat, et in summo aere diutissime, quasi ludendo volucritans<sup>1</sup>, ad ultimum, cunctis utrinque intuentibus, sese leviter in cuiusdam de christiana plebe sinum depositus, quod mane mox totus populus summa veneratione salutabat et osculabatur. Habebat autem longitudinis pedes octo.

ADAMANNI SCOTOHIBERNI abbatis celeberrimi, de SITU TERRÆ SANCTÆ et quorumdum aliorum locorum, ut Alexandriæ et Constantinopolis, libri tres, ante annos nongentos et amplius conscripti et nunc primum in lucem prolati, studio Jacobi Gretseri, societatis Jesu theologi. Accessit eorumdem librorum Breviarium seu Compendium, breviatore venerabili Beda, presbytero, cum prolegomenis et notis. Ingolstadi, apud

1. *Aliter volitans.*

Elisabetham Angermariam, vid., sumptibus Joannis Hertsroy, bibliopolæ monacensis, anno MDCXIX, in-4°. Ven. Bedæ Epitome, p. 24 et 26. — BEDÆ, opera, Coloniæ, 1688, t. III, 365.

\* \*

*Venerabilis Bedæ, de Locis Sanctis, lib. III.*

*Versus Bedæ.*

Descripsi breviter fines situsque locorum  
Pagina sacra magis quæ memoranda refert,  
Beda, sequens veterum monimenta simulque novorum,  
Charta magistrorum quæ sonet inspiciens.  
Da Jesu, patriam semper tendamus ad illam,  
Quam beat æternum visio summa tui.

*Peroratio.*

Haec de locis sanctis, prout potui, fidem historicam secutus posui,  
et maxime Arculphi dictatus Galliarum episcopi, quos eruditissimus  
in scripturis presbyter Adamannus, lacinioso sermone describens,  
tribus libellis comprehendit. Si quidem memoratus antistes, desiderio  
locorum sanctorum, patriam deserens, terram repromissionis adiit,  
aliquot mensibus Hierosolymis demoratus, veterano monacho, nomine  
Petro, duce pariter atque interprete, usus cuncta in circuitu quæ desi-  
deraverat vivida intentione lustravit...

ADAMANNI. *Op. cit.* p. 106 et 108.

---